

**AGRÉGATION  
CONCOURS EXTERNE**

**Section : LETTRES CLASSIQUES**

**VERSION LATINE**

*Du désert de Syrie où il s'est retiré, saint Jérôme écrit à son ami Julien, diacre dans la région natale de Jérôme. Entre autres choses, il lui parle du projet qu'a formé sa sœur d'entrer dans la vie religieuse, et des critiques haineuses dont il est lui-même l'objet dans son pays (375 après J.-C.).*

Antiquus sermo est : mendaces faciunt ut nec vera dicentibus credatur ; quod mihi ego a te objurgatus de silentio litterarum accidisse video. Dicam « Saepe scripsi, sed neglegentia bajolorum fuit ? » Respondebis « Omnia non scribentium vetus ista excusatio est. » Dicam « Non repperi qui epistulas ferret ? » Dices hinc illuc isse quam plurimos. Contendam me etiam his dedisse ? At illi, quia non reddiderunt, negabunt et erit inter absentes incerta cognitio. Quid igitur faciam ? Sine culpa veniam postulabo rectius arbitrans pacem loco motus petere quam aequo gradu certamina concitare ; quamquam ita me jugis tam corporis aegrotatio quam animae aegritudo consumpsit, ut morte inminente nec mei paene memor fuerim. Quod ne falsum putas, oratorio more post argumenta testes vocabo.

Sanctus frater Heliodorus hic adfuit qui, cum mecum heremum vellet incolere, meis sceleribus fugatus abscessit. Verum omnem culpam praesens verbositas excusabit. Nam, ut ait Flaccus in satura : « Omnibus hoc vitium est cantoribus, inter amicos rogati ut numquam cantent, injussi numquam desistant », ita te deinceps fascibus obruum litterarum, ut e contrario incipias rogare ne scribam. Sororem meam, filiam in Christo tuam, gaudeo te primum nuntiante in eo permanere quo cooperat. Hic enim ubi nunc sum, non solum quid agatur in patria, sed an ipsa patria perstet ignoro. Et licet me sinistro Hibera excetra rumore dilaniat, non timebo hominum judicium habiturus judicem meum : « Si fractus inlabatur orbis, in pavidum ferient ruinae. » Quapropter quaeso ut apostolici memor praecepti quo docet opus nostrum permanere debere, et tibi a Domino praemium in illius salute pares et me de communi in Christo gloria crebris reddas sermonibus laetiorem.